



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

De|| EXTREMA VNCTIO-||NE, ORDINE, ET MATRI-||MONIO.|| SINGVLIS LIBRIS
EX-||PLICATA.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

XIX. Non requiri ad essentiam Matrimonij consensum parentum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54104](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54104)

debitum coniugale: & Ligamen: Duo alia admittunt ex parte, non simpliciter, vt, consanguinitatem, & affinitatem; hæc enim admittunt, quoad gradus, qui prohibentur in Leuitico; quoad alios, reiciunt.

Reliqua omnia simpliciter damnant: vnde est illa vox Lutheri in sermo, de Matrimonio: *Duo de viginti causis in suo iure effinxit Papa, quibus omnibus Matrimonium vel dissipet, vel impediat, quas tamen ferè omnes, & reuicio, & condemno.* Hæc ille. De his igitur impedimentis, septem tantum sunt cum Hæreticis huius temporis quæstiones.

CAPVT XIX.

Non requiri ad essentiam Matrimonij, consensum parentum.

PRIMA igitur quæstio est, an requiratur necessariò ad Matrimonium filiorum, consensus parentum. Contendunt enim aduersarij, Matrimonium irritum esse, nisi fiat cum parentum consensu: sed quia non omninò inter se conueniunt, eorum sententias breuiter referemus. Primus viderur fuisse Erasmus, qui rem in controuersiam reuocauit: nam in colloquio de Matrimonio, in quo Eubulum, & Catharinam loquentes inducit, sic ait: *Definiunt quidam Matrimonium esse ratum, quod insciis, aut etiam inuitis parentibus, inter puerum & puellam per verba de presenti contractum est. Atqui istud dogma nec nature sensus approbat, nec veterum leges, nec Moyses ipse, nec Evangelica, aut Apostolica doctrina.* Hæc ille.

Martinus Lutherus in serm. de Matrimonio, cum distinctione loquitur: nam aut nata est proles ex coniugio contracto sine parentum consensu, aut nondum est nata. Si nata est, firmum esse debet Matrimonium: si nondum est nata, in potestate parentum erit, confirmare vel irritate coniugium. Idem docet Philipp. in locis, tit. de coniugio.

Bucerus in cap. 19. Matthæi reuocari optat in vsum leges ciuiles, quibus id caueri dicit, ne nuptiæ filiorum ratæ sint sine consensu patris, aut aui, aut proau. Ioan. Brentius in Canonicismo, exponens quartum præceptum; si Matrimonium

NN § sine

sine parentum consensu celebratum sit, iubet id refecti ad Magistratum, atque eius iudicio confirmandum, vel irritandum esse. Nam etiamsi generalis regula sit, quod liberi debeant inire coniugia cum parentum consensu, tamen nonnulli sunt casus, in quibus licet etiam secus agere. In eadem sententiam descendit Martinus Kemniti in 2. p. Examinis Concilij Tridentini pag. 1273. & sequentibus, ubi tamen non rectè confundit Matrimonia filiorum sine consensu parentum, cum Matrimonis clandestinis; potest enim fieri ut matrimonium, sit clandestinum, & tamen cum parentum consensu contractum: & contrà ut non sit clandestinum, sed publicum, & coram Ecclesia, & tamen iniectis, & iniectis parentibus celebratum. Ioan. Calvinus libr. 4. instit. cap. 19. §. vlt. enumerans leges Pontificum Romanorum de Matrimonio (ut ipse loquitur) vel in Deum impias, vel in homines iniquissimas, primo loco istam ponit: *Quales sunt, inquit, ut coniugia inter adolescentulos, parentum iniussu contracta, firma, rataq; maneant.* Hæc illi Catholici verò Doctores aded non dubitant ea Matrimonia firma, ac rata esse, ut neque vnquam inter impedimenta Matrimonij numerauerint defectum consensus paterni, & nuper Concilium TRIDENTINUM sess. 24. in decreto de Matrimonio clandestinis, in hæc verba statuerit: *Sancta Synodus anathemate damnat eos, qui falsò affirmant Matrimonia à filijs familias sine consensu parentum contracta, irrita esse, & parentes ea rata, vel irrita facere posse.* Sed ut breuius, & facilius quæstio explicetur, propositiones aliquot statuemus.

PRIMA propositio: *Solo consensu parentum, Matrimonium inter filios celebrari non potest: & ided non potest pater filium ad coniugium cogere.* Hanc propositionem admittit Philippus loco notato, neque alij eam negant.

Probatur PRIMO exemplo Scripturæ diuinæ. Nam in Genesi, cap. 24. cum pater, & frater Rebeckæ de Matrimonio eius cum procuratore Abrahæ, qui eam in uxorem filio Abrahæ petebat, tractassent, dixerunt: *Vocemus puellam, & inquiramus eius voluntatem.*

SECUNDO patet ex iure canonico, canon. Sufficiat 27. quæst. 2. & cau. ubi non est, 30. quæst. 2. ca. Tuas dudum, de sponsa

de sponsa duorum; & cap. vnico de de sponsatione impube-
rum in VI.

TERTIO patet ex ratione. Nam illorum necessariò con-
sensus requiritur, qui Matrimonij formam pronunciant;
essent enim falsa verba illa: *Ego te accipio in meam*, *Et ego*
te accipio in meum, si consensus pronuntiantium ea verba
desset. At formam pronunciant ipsi qui contrahunt; ipso-
rum igitur consensus necessariò requiritur. **DEINDE** con-
iugium est summus amicitiae gradus, secundum Philoso-
phum; repugnat igitur naturae coniugij, vt contrahatur in-
ter inuitos.

SECUNDA propositio: *Filiorum consensus, etiamsi solus*
sit, ad matrimonium firmum, ac ratum efficiendum sufficit;
nec potest à parentibus, vel Magistratu eiusmodi Matrimo-
nium irritari. Hæc est contra Erasimum & Lutheranos.

Probatur **PRIMO** exemplis Scripturæ diuinæ. Genes. 26.
ESAY duxit vxores duas, quæ ambæ offenderant animum I-
saac, & Rebecca parentum eius: proinde inuitis parentibus
eas accepit. Et rursus capite 28. accepit tertiam, contra eo-
rundem parentum voluntatem: nec tamen Isaac ea coniu-
gia irritauit, & Scriptura simpliciter vxores vocat, quæ ita
ductæ fuerant. Deinde Iacob Genes. 29. & 30. duxit vxorem
vnam iuxta consilium parentum suorum; sed alias tres, &
præsertim duas ancillas duxit, parentibus omninò insciis:
nec tamen Iacob sanctissimus patriarcha id fecisset, si cre-
didisset necessarium esse consensum parentum. **TOBIAS** quo-
que, vt legimus cap. 7. libri Tobiae, vxorem duxit in aliena
regione, parentibus ignorantibus: nec tamen Angelus Ra-
phael, qui cum ipso erat, eum admonuit, vt parentum con-
sensus expectaret, neque ipse religioni sibi duxit, insciis pa-
rentibus id facere.

SECUNDO probatur ex iure canonico. Nam cap. Cùm
virum, de regularibus, ita loquitur **CLEMENS III.** de puel-
la nubili: *Tunc, inquit, quia liberum habet arbitrium, in ele-*
ctione propositi, parentum sequi non cogitur voluntatem. Et
huc pertinet quod ait sanctus **AMBOSIUS** in libro de Vir-
ginibus: *Cui licet, inquit, maritum eligere, non licet Deū præ-*
ferre? vbi docet licere puellæ virgini, patre etiam inuito,
continentiam Deo vouere: sicut eidem licet virum eligere.
Et

Et idem Ambrosius in epist. 43. ad Syinnium, qui filio indignabatur, quòd sine suo consilio vxorem duxisset, dicit, culpam aliquam ab eo filio admissam, tamen satis aperte indicat, Matrimonium fuisse ratum, & Syinnium laudat, quòd facile culpam ignouerit filio.

TERTIO probatur ratione. In eiusmodi coniugio nihil eorum deest, quæ ad essentiam Matrimonij pertinent; verum igitur, & ratum, atque adè insolubile Matrimonium erit. Probatur antecedens. Nam consensus contrahentium adest, & proinde intentio Ministri; adest materia, quæ sunt personæ ad Matrimonium idoneæ; adest forma, id est, verba seu signa mutui consensus: quid igitur deest? **DICENT**, consensus non est plenus, ac sufficiens; nam cum filij sint in potestate parentum, non possunt in re tam graui sine parentum facultate aliquid constituere. **RESPONDEO**, vel consensus filiorum non est plenus, quia deest vsus liberi arbitrij, vel quia deest consilij maturitas, vel quia ita subiiciuntur filij parentibus, vt ius non habeant de statu vitæ suæ disponendi. **PRIMUM** dici non potest, quia tunc etiam cum parentum consensu, coniugium non esset. Nec **SECUNDUM** dici potest. Nam ad Matrimonium contrahendum non exiguntur necessariò consilij maturitas, sed solùm vsus liberi arbitrij, qualis etiam requiritur ad peccandum, ad merendum, ad vouendum, &c. alioqui daretur occasio Matrimonia passim dirimendi. Quocirca solam pubertatem in contrahentibus Canones exigunt. Deinde sæpe accidit, vt qui parentes adhuc habet, sit vir maturioris consilij, quàm multi alij, qui parentibus, aliisque maioribus orbati sunt; si igitur hi posteriores vxorem eligere possunt, sine vllius alterius consilio, cur non etiam priores illi, qui sunt his, vt iam ponimus, prudentiores? Sed neque **TERTIUM** dici potest. Nam filius licet patri obedientiam, & reuerentiam debeat, tamen quando vsus liberi arbitrij habet, liber est, & sui iuris, non minus quàm pater, in his quæ ad statum vitæ pertinent. Quare poterit quidem peccare, dum non sequitur patris directionem in statu eligendo, tamen quod facit, ratum & firmum erit, quia de re sua, non de aliena disposuit. **PRÆTEREA** coniugium seruorum inuitis dominis, firmum ac ratum esse, Theologi rectè docent; & habetur in Iure canonico.

co, capite primo de coniugio seruorum: non enim Ius gentium, quo seruitus introducta est, id potuit auferre quod Ius naturæ concessit. Ergo multò magis coniugium filiorum inuitis parentibus erit ratum: maior enim subiectio est seruorum ad dominum, quàm filiorum ad parentes. Confirmatur argumentum ex testimonio aduersariorum. Nam Lutherus, & Melanchthon contendunt, Matrimonium filiorum inuitis parentibus contractum, si per copulam carnalem consummatum sit, non posse amplius à parentibus irritari. At copula illa carnalis non facit filium prudentiorem, neque eximit à patria potestate; ergo etiam ante copulam Matrimonium contractum à parentibus irritari non poterat, vel si tunc poterat, etiam post copulam poterit, quod ipsi negant. SED inquit Melanchthon, *quando Matrimonium est consummatum, non amplius agitur de futuro, sed de presenti; et iniuria fieret coniugi, si post violationem deferretur.* AT etiam Matrimonium contractum per verba de presenti, non est futurum, sed præsens coniugium, & donatio coniugalis iam peracta est; illa igitur ratione non poterit irritari Matrimonium vllum, siue consummatum, siue non consummatum. PRAETEREA Matrimonium consummatum inuitis parentibus, vel iure consummatum est, vel non. Si iure consummatum, ergo & iure contractum ante consummationem: non enim iure consummari potest Matrimonium, non iure contractum; Ergo etiam ante consummationem Matrimonium inuitis parentibus contractum, ratum erat, ac firmum. Sin autem non iure consummatum fuit, iure post consummationem irritari poterit, neque vlla fiet iniuria coniugi: non enim vlli facit iniuriam, qui vitur iure suo. Alioqui si ista ratio vniuersè vim haberet, non possent dirimi Matrimonia vlla post consummationem, quamuis nullo iure, immò contra omnia iura contracta. Et eadem ratione, per stuprum virgini illatum, non posset dirimi illa coniunctio; cuius tamen contrarium legimus in Exod. cap. 22. vbi, qui virginem nulli desponsatam vitiauerit, cogitur eam habere vxorem, si pater eam dare voluerit, sin minus, cogitur saltem dotare.

TERTIA propositio: *Peccant filij quando sine iusta, & rationabili causa parentibus inscijs, vel inuitis Matrimonia*

monia contrahunt. Dixi: *Sine iusta, & rationabili causa*, quia potest aliquando fieri, ut filius non peccet in scio patre uxorem ducendo; quia nimirum credit patrem id ratum habiturum; & hoc modo Tobias in scio patre uxorem duxit. Potest etiam fieri, ut non peccet filius inuito patre uxorem ducendo, ut si pater iniuste prohibeat filiū à coniugio; vel causa maioris dotis, non nisi indignam mulierem, aut etiam hereticam ei dare velit. Ut plurimum tamen peccant filij, cum non sequuntur in hac re parentum voluntatem; nam ut plurimum parentes sunt prudentiores, neque periculum est ut filiis malè consultum velint, cum eos naturaliter diligant. PRAETEREA parentum est, filiis prospicere, eosque dirigere; ergo filiorum est, sinere se à parentibus regi, ac duci. Et habemus exempla, ac testimonia in Scripturis pericula. Genes. cap. 24. Isaac accepit uxorem, quam pater ei dedit, & Rebecca vxor ipsius, consilium patris sui ea in re sequuta est: de qua re disputans Ambrosius, libro primo de Abraham, capite ultimo, multa ad hoc propositum adfert, & inter alia laudat versus EURIPIDIS, qui virginem ita loquentem introducit: *Sponsalium quidem meorum pater meus curam subibit; hoc enim non est meum.* & in epistola quodam dragesima tertia ad Syllinium, dicit eum iuste indignatum quod se in scio filius uxorem ducere voluisset.

Exodi 34. & Deuteronomij 7. præceptum de Matrimonio filiorum, parentibus potius datur, quam filiis, ne uideantur videlicet cum Chananeis: *Filiam tuam non dabis in uxorem filio tuo, nec filiam illius accipies in uxorem tuam.* Et Isaac aperit uisum filio suo Iacob, ut non acciperet uxorem de filiabus Palestine, sed aliquam ex filiabus Laban; quod & ille obedienter fecit. Genes. 28. DICES, si potest pater filio imperare, ut uxorem, & talem uxorem ducat; ergo potest cogere, ut ducat, vel non ducat uxorem, quod est contra primam propositionem. RESPONDEO, tribus modis potest intelligi, ut pater dicatur filium cogere ad Matrimonium. PRIMO, ut filium planè dissentientem & inuitum pater cogat uiuere cum aliqua, quam velit eius uxorem esse: & hoc non potest fieri, & si fiat, Matrimonium est nullum. Et hoc proprie in prima propositione assertum est. SECUNDO, ut filium assentiri cogat, iniecto metu mortis, aut alio, cadente

in constantem virum; & hoc etiam patri minimè licet. Neque Matrimonium illud esset ratum: quoniam ad Matrimonium non solum consensus, sed etiam consensus liberimus contrahentium exigitur, cum Matrimonium sit vinculum perpetuum, & natura sua benevolentiam, & amicitiam, eamque summam requirat. TERTIO, ut filium ad assentiendum inducat auctoritate paterna imperando, quando reuera filio id conducit, ita ut secundum rectam rationem dissentire non possit: & hoc patri licet, & filius obedire tenetur. Quemadmodum etiam cum filio expedit comedere talem, aut talem cibum, & à tali, vel tali abstinere, potest parens iubere, & filius tenetur parere. Et licet hoc etiam sit suo modo cogere, & metum incutere mortis aeternæ: non tamen propterea Matrimonium illud diceretur coactum, neque irritum esset: quia metus ille gehennæ non propriè incutitur ad hoc, ut iste uxorem ducat; sed per se consequitur præcepti transgressionem.

CAPVT XX.

Soluuntur argumenta Kemnitij.

SED iam argumenta Kemnitij dissoluamus, qui ex Luthero, Bucero, Caluino, & aliis sectariis ea collegit.

PRIMO obiicit testimonium saniorum Pontificiorum, qui agnoscunt & fateantur, Matrimonia insciis & inuitis parentibus contracta, non esse legitimam, aut diuinam coniunctionem; & allegat Ioannem Gropperum in institutione Colonienfi.

RESPONDEO, Multis modis fallitur Kemnitius. PRIMO, quia ex vno Groppero colligere conatur mentem saniorum Catholicorum, cum nos contra proferre possimus omnes antiquos Theologos, & in eis sanctum Thomam in 4. dist. 28. quæst. 1. art. 3. & recentiores plurimos doctissimos, ut Ruardum, Petrum, & Dominicum à Soto, & alios, qui a pertissimè docent, Matrimonium, siue clandestinum, siue insciis parentibus contractum non esse solum Matrimonium verum, se etiam verum Sacramentum.

SECUNDO